

www.e-rara.ch

De epilepsia disputatio

Steinbach, Johannes

Basileae, 1584

Universitätsbibliothek Basel

Persistent Link: <https://doi.org/10.3931/e-rara-216>

www.e-rara.ch

Die Plattform e-rara.ch macht die in Schweizer Bibliotheken vorhandenen Drucke online verfügbar. Das Spektrum reicht von Büchern über Karten bis zu illustrierten Materialien – von den Anfängen des Buchdrucks bis ins 20. Jahrhundert.

e-rara.ch provides online access to rare books available in Swiss libraries. The holdings extend from books and maps to illustrated material – from the beginnings of printing to the 20th century.

e-rara.ch met en ligne des reproductions numériques d'imprimés conservés dans les bibliothèques de Suisse. L'éventail va des livres aux documents iconographiques en passant par les cartes – des débuts de l'imprimerie jusqu'au 20e siècle.

e-rara.ch mette a disposizione in rete le edizioni antiche conservate nelle biblioteche svizzere. La collezione comprende libri, carte geografiche e materiale illustrato che risalgono agli inizi della tipografia fino ad arrivare al XX secolo.

Nutzungsbedingungen Dieses Digitalisat kann kostenfrei heruntergeladen werden. Die Lizenzierungsart und die Nutzungsbedingungen sind individuell zu jedem Dokument in den Titelnformationen angegeben. Für weitere Informationen siehe auch [Link]

Terms of Use This digital copy can be downloaded free of charge. The type of licensing and the terms of use are indicated in the title information for each document individually. For further information please refer to the terms of use on [Link]

Conditions d'utilisation Ce document numérique peut être téléchargé gratuitement. Son statut juridique et ses conditions d'utilisation sont précisés dans sa notice détaillée. Pour de plus amples informations, voir [Link]

Condizioni di utilizzo Questo documento può essere scaricato gratuitamente. Il tipo di licenza e le condizioni di utilizzo sono indicate nella notizia bibliografica del singolo documento. Per ulteriori informazioni vedi anche [Link]

DE EPILEPSIA
DISPUTATIO,
EX DECRE-
TO AMPLISSIMI
ORDINIS ET COLLEGII ME-
dicorum Inclytæ Academix Ba-
siliensis, pro suprema in Arte
Medica Laurea conse-
quenda, habita
à
M. IOANNE STEINBACH
laurano Silesio.
xxvii. die mensis Augusti, tem-
pore & loco consuetis.

Basileæ, Typis Leonhardi Oſtenij,
M. D. LXXXIII.



Catalog

Amplissimis, doctrina, virtute, prudentia &
pietate præstantissimis viris,

DN. ONOPHRIO IOHNAE

DN. PANCRATIO SCHINDLERO consu-
libus, & reliquis Inclytæ Reipubl. Iauraviensis Elysiorum
Senatoribus, Dominis & patronis suis, perpetua obser-
vantia colendis, officiosè

dedicando offert & nuncupat has de morbo comi-
tiali conclusiones, autor.

ΠΡΟΛΕΓΟΜΕΝΟΝ

I.

Frequens malum est & periculosum Epilepsia, de cuius causis, generationis modo, & loco non idem omnes docuerunt.

II.

Quamobrem opere precium me facturum arbitratus sum, si de illa disputationem instituerem, & paucis capitibus, quæ vera de hac ipsa mihi videatur sententia, ostenderem.

De varijs huius morbi nominibus.

III.

Multa sunt nomina, cum apud Græcos, tum apud Latinos morbi huius, ferè à symptomatibus, uel loco, uel causa efficiente, uel à magnitudine, uel ab ijs qui eo frequentius corripuntur, desumpta: quia enim antiquitas, veras morborum causas adhuc ignorauit, propria etiam eorundem nomina inuenire non potuit.

III.

Græci omnes vocarunt *ἐπιληψίαν*, ἀπὸ τῆ ἐπιλαμβάνεσθαι, quoddam ex improviso insiliat in ægros, & sensus atque mentem eorum apprehendens, ut ait Aurelianus, eos quasi prosternat.

V.

Nonnulli *ἱερὸν νόσον* sacrum morbum: non ut impostores pronunciarunt, quoddam peculiariter à Dijs sit immissus, & alij diuinius sit morbis atque sacratior, quemadmodum rectè monet Hippocrates lib. de morbo sacro. Habet enim naturam & causam, quæ etiam reliqui morbi, unde fit.

VI.

Sed vel propter magnitudinem & grauitatem: Familiarè. n. græcis est, ut *ἱερὸν*, hoc est, sacrum, pro magno usurpètur: ut dum sacrum os, & sacrum piscem, pro magno osse & magno pisce essent. Et virgilius imitatione græca, sacra auri famem, pro magna dixit. Atque hinc est quoddam Hippocrates *μεγάλων νόσον*, & Cornelius Celsus maiorem nominet, id quod non nisi homines etiam imitati sunt.

VII.

Vel etiam quòd mentis actiones impediendo sacra occupet animam, non quòd mens ipsa hic laboret, sed quòd illa facultas, phantasia nimirum, qua utitur mens, propter luxatum seu viciatum instrumentum, à quo dependet, vires suas exerere non possit: vel quòd in sacra corporis parte fiat, scilicet in cerebro, in quo anima uel habitat, uel principes actiones exercet.

VIII.

Aristoteles sacrum dixit hunc morbum, sect. 30. proble. part. 1. propter diuum Herculem, cui familiaris fuit. Vnde & *ἡρακλεϊα νόσος* nominatur. Alij ideo sic dictū putant, quòd instar Herculis insuperabilis sit, quòd nullo ferè remedio tolli possit. Atq; ob eandem causam, annotat Aretæus, veteribus *ἐλεφαντίασιμ* quandoq; dici.

IX.

Latini vocant comitalem: vel quòd apud Romanos comitia dimitteretur, si quis eo in comitijs correptus fuisset: aut quia ijs interdum accideret, quibus in comitijs negabantur suffragia. Et quia repente concidunt, qui eo corripuntur, caducum; quæ Germanis quoq; nominatio usitata admodum est.

X.

Plinio est fonticus: quia noxius & ita grauis, ut solitas actiones impediatur. Q. Sereno est Lunaticus: vel quia pro lunæ cursu affligat, vel potius interlunio natos ferè corripit. Plauto in capt. Insputatus, quòd idiotæ antiqua consuetudine multis in locis ad nomen epilepsiae despuere soleant, ne scilicet ab eo corripiantur, si secus fecerint.

XI.

Puerilem deniq; & infantilem nuncupant, Auicennas cap. peculiari matrem puerorum, quòd teneram præcipuè ætatem infestet, & pueris, quoad pubertatem accedat, peculiaris sit. Et quia hanc, ut plurimum, primam ætatem oppugnat, dictus est primus à Lucretio.

Definitio Epilepsie secundum rem.

XII.

Epilepsia est affectio cerebri præter naturam, orta à malignis

& mordaci materia, aut in ipso capite genita, aut aliunde sublata, ad quam sequitur cerebri, (admitētis nimirum à se excutere quod molestum est) & consequenter (propter neruos à cerebro per reliquum corpus dispersos) totius corporis conuulsoria contractio illa non perpetua, in alijs maior, in alijs minor, cum mētis ac sensus lēsiōe, ac subiecto casu.

Epilepsie à cognatis affectibus distinctio.

XIII.

Differt igitur à spasmī speciebus, emprosthotono; opisthotono, atq; tetano: quæ differentiæ sunt veræ conuulsionis: in iam dictis enim perpetua, in morbo uerò comitiali ex temporum interuallis conuulsio accidit. Sensibiles deniq; operationes, nec non principes in epilepsia laborant, detrimentumq; suscipiūt: in Spasmo uerò principes functiones illesæ permanent.

XIV.

Ab Apoplexia quoq; distat, quòd in hoc affectu omnes corporis particulæ sine conuulsione motum simul & sensum amittant, principalibusq; animæ functionibus oblatis: at in Epilepsia facultatis animalis motus non fit abolitus, sed tantum, ut loquuntur, deprauatus: neque etiam, quemadmodum illa, in *παράλυσις* fiat terminatio.

XV.

Differt tandē à præfocacione uteri: Licet enim hoc malò correptis loquela sæpe auferatur atq; corruant, aut saltē stare non possint: Tamen ut in Epilepticis, spuma in ore non apparet, neq; conuertuntur oculi, nec neruorum sit distentio præfocata etiam uti audit. sic sentit compuncta & intelligit, obtusè interim: Epilepticus autē omnib. istis destituitur.

XVI.

Reliquæ sunt affectiones, vertigo, incubus, & huiusmodi aliæ, quæ ut vicinæ aliquo modo sunt Epilepsie: ita suis etiam notis peculiaribus ab illa facillè discerni possunt: nam vertiginosi sensibus non priuantur, neq; ad modum Spasmatum, diuerso raptu afficiuntur. Quòd neque incu-

bo laborantibus euenire solet. Quanquam in hoc morbo materia etiam non sit ita venenata, ut in Epilepsia.

Pars affecta.

XVII.

Partem affectam censet Auicennas esse anteriores cerebri ventriculos: videt enim in hoc affectu sentientem facultatem potissimum lædi. Alij posteriorem, propter symptomata quod primum apparet, propter casum, & motum deprauatum. Nos cum Hippocrate & Galeno in toto cerebro sistimus Epilepsiam, id quod ratione quoque comprobari potest.

XVIII.

Læduntur enim in illa tam principes, quam motrices atque sensibiles facultates, quarum autor & principium, seu officina quasi communis, est cerebrum.

XIX.

Nam cum materia illa molesta stimulat cerebrum, facultas & mouens & sentiens primum perturbata & quasi attonita, alias interim functiones deserit, & ut causam noxiam expellat, in se colligit. Hinc sensus (& propter hunc etiam ratiocinatio) & motus totius corporis amittitur: Hinc patiens concidit & stare non potest.

XX.

Non autem negamus unam quandam partem cerebri primò affici, quam nimirum primum stimulat materia inimica, siue pars illa sit corpus cerebri, siue ventriculorum parietes, siue tunicae quas *μηνυγας* græci vocant.

Cause.

XXI.

Interna, eaque proxima Epilepsiae causa, & quæ hæc actu efficit est ut plurimum vapor seu flatus, aut in ipso cerebro genitus, aut aliunde sublatus, qui non obstruendo, non odere, sed maligna, eaque vel occulta sua qualitate & venenata cerebro infestus est, vel manifesta aliqua & acrimordacitate cerebrum pungit, stimulat & irritat ad illum expulsiuum motum, tam diu, donec materia illa, vel aliò transmissa, vel dissipata prorsus molesta esse desinat.

XXII.

Eodem modo potest humor etiam tenuis, siue sit Ichor,

siue bilis hunc affectum excitare: nam fit hic morbus citò, citòq; dissoluitur: & rarò admodum apparet soluto paroxismo, quòd materia illa transmissa sit. Fuit igitur nò crassum quiddam & viscosum; sed tenue, quod citò incurrare, & facillè dissipari potuit.

XXIII.

Pegonyus verò seu remota, è qua causa morbi huius propinqua existere & prodire solet, est quilibet humor vitiosus, pituita, melancholia, & si qui alij sunt præter naturam se habentes, in quacunq; sanè corporis parte hæreant, semen in utero corruptum, sanguis mēstruus retētus, lumbrici in intestinis mortui & putrescentes: ex his enim omnibus posse vapores seu flatu acres & mordaces, tota etiā substantia cerebro infestos, exhalare, tam certum est, quàm quod certissimum, id quod nemo non intelligit.

XXIV.

Hoc fortassis saltem obscurum est, per quas vias, per quos, ut loquuntur, cæcos ductus, è partibus capiti subiectis materia illa vaporosa in cerebrum perferatur & ascendat, quod cum non tantum in præsentī morbo, sed in alijs etiam, ut sciat medicus par sit, paucis ostendam.

XXV.

E' ventriculi capacitate deferuntur vapores in cerebrum per palatum, per nares, per olfactum: Licet enim plerunq; per os extrà ferantur, tamen aliquid etiam cerebro communicatur.

XXVI.

Fit etiam materiæ hæc transmissio per transpirationem: maximè verò per rectum ductum neruorum sextæ coniugationis ventriculo inferiorum, quemadmodum fumus qui licet ex camino rectà sursum non feratur, si tamen baculum inferas, recto eiusdem ductu sursum ferri, manifestum est.

XXVII.

Si verò extra ventriculi sinum, in membranis nimirum ipsius hæret, dubium nò est, attolli materiā illam in caput per venas & arterias: per illas tardiùs & magis impeditè:
per has

per has minùs tardè & expeditùs.

XXVIII.

Si ex vtero serpit, & progreditur per spinam dorsi, cui vterus validissimis ligamentis & tendonib. annexus est: Item per venas & arterias quæ in vterum tendunt. Atque hinc facile patet, quæ sint viæ satis manifestæ ex alijs partibus omnibus capiti subiectis.

XXIX.

Externæ causæ atq; euidentes seu προκταρητιμα duorù sunt generum. Aliæ enim materiam illam malignam & uenatam, aut in corpore generant, aut in illud inducunt: vt sunt aer vitiosus, vel etiam frigidus: ventus tum borealis, tum australis, immoderata ciborum ingestio, & inordinata victus ratio: alimenta vitiosa et corrupta: Item flatulenta & caput repletia: cibi acres: odores ingrati, somnus immodicus præsertim à meridie: Venus immodica: suppressio consuetarum euacuationum. Huc refero pungentia: vt in fractura cranij squamula ovis: Itè assumpta venena: vt argentù viuum, & si quæ sunt, quæ ab occulta, vt loquuntur, proprietate, paroxifimos epilepticos faciunt & exacerbant.

XXX.

Aliæ verò commouēt tantù materiam illam in corpore existentem: ut sunt inedia, subitò incussus timor: ira uehemens: magna contentio clamando, aut onus sustinendo: labor nimius: saltus, & quælibet corporis agitatio laboriosior: speculatio ex alto loco: strepitus subiti, clangores tubarum aut timpanorum: fulmen, tonitru: item calor nimius, mora sub sole, diuturna balnea. Huc pertinent temporum mutationes insignes, præsertim autumnales & uernales, item luna.

XXXI.

Disponentes siue præparâtes ad epilepsiam causæ sunt cerebrum debile, tenuioris & mollionis substantiæ (quorum sum refero etiam imbecillitatem neruosi generis) & sensus exquisitoris. In summa certa quædam partis patientis natura & temperies, quæ aut hæreditaria est, aut morbo,

vel

vel loco, quem incolimus, aut victus ratione qua utimur, acquiritur. Item angustia canalium per quos se cerebrum expurgare, & contra viarum dilatatio, per quas à reliquo corpore superfluitates facile excipere solet.

XXXII.

Neque parum facit ad hunc morbum imbecillitas concoctricis & expultricis facultatis in omnibus partibus: illius enim vitio materia vitiosa in toto corpore gignitur, huius verò debilitate retinetur, congeritur & coace ruatur.

Differentiæ.

XXXIII.

Differentiæ præcipuæ petuntur vel à causa efficiente: vel à loco in quo fomes efficientis causæ residet: vel etiam à symptomatis adiunctis.

XXXIII.

Ab efficiente duæ oriuntur species Epilepsiæ: alia est à qualitate tota sua natura inimica cerebro: alia verò à materia quæ sua manifesta acrimonia & mordacitate cerebrum vellicat ac pungit.

XXXV.

A loco fomitis consurgunt tres differentiæ: prima, cerebro primò & per se affecto gignitur, cum nimirum fomes huius morbi in capite continetur: Altera fit ventriculi consensu: cum vel ex ventriculo, vel vicinis ei partibus causa mali tollitur. Tertia (quam respectu curationis à secunda, cum Galeno separamus) habet fomitem in alijs partibus capiti subiectis. Atque ita fit Epilepsia, aliàs *κατ' ἰδιον ἀθεῖαν*, aliàs *κατὰ συνάθεῖαν*.

XXXVI.

A symptomatis adiunctis plures faciunt differentias (ut videre est apud Cœlium Aurel.) quarum præcipuas recensebimus: Primùm enim alij concidunt, amittunt sensum & motum; conuelluntur toto corpore, præsertim mu-

B sculis

sculis maxillaribus: unde & stridunt dentibus, & quasi stertunt: sunt qui laborant difficultate respirationis & stertunt: Alij contra liberè respirant, sine omni stertore. 3. sunt qui spumam emittunt: in alijs verò nō apparet. 4. sunt qui clamorem emittunt, cum alijs sine omni clamore cōcidat. 5. sunt qui oscitant: sunt etiam quibus non accidit oscitatio. 6. tandem sunt qui & antequam cadunt, & postquā ceciderunt, toruum vident: alijs minimè, &c.

Signa.

Επιερισματα.

XXXVII.

Paroxismos Epilepsiæ aspectu esse ita turpes, & vsque adeò detestandos, ut, si ægri sese eo tempore viderent, planè viuere nollent, nemo est qui dubitat. Imò periculosum est etiam, si vel prope puteos, vel flumina, & indecorum valde, si aut in foro vel in templis cadunt.

XXXVIII.

Aequum est igitur, ut quæ futuram & iam incipientem Epilepsiam portendant signa, monstremus: sic enim ægro-
tantes facile se occultare, in lecto collocare, & turpitudinē & periculum vitare poterunt. Medicum etiam hoc nomine vnice diligent, admirabuntur & suspicient. Huic libentius parebunt, & ut inquit Hippocrates, audentius se illi committent, ad omniaq; sustinēda paratos se exhibebūt, & illum in oppugnando morbo strenuè iuuabunt.

XXXIX.

Inditia autem huiusmodi sunt totius capitis grauitas, sibilus & tinnitus aurium, somnia turbulenta, scintillæ & imagines circa oculos obuerrantes, indigestiones, tentiginēs pudendorum, nocturnæ pollutiones, pallor faciei quæ aliàs maior, immobilitas quædam totius corporis, urinæ tenues & crudæ, conuulsionēs colli, dorsi, & si quæ sunt huiusmodi alia, quæ uel omnia, uel plurima cū apparent, plerunq; statim affuturam accessionem prænunciant.

Αιμα

tricus dolor & morsus, nausea, inordinata appetētia, difficilis inediae tollerantia. Imò si redditis per uomitum excrementitijs humoribus epilepticus motus cessat, dubiū non est uitio stomachi morbum excitatum fuisse.

XLVI.

Si tandem ab alia corporis parte malū hoc oriatur: uerbi gratia ab utero, à liene, à crure, uel à manuum pedumque digitis, facile deprehendes, si diligens circumstantiarum iudicium adhibueris, & quænam partium laboret, & malè se habeat, consideraueris.

XLVII.

Quamquam ægri ipsi ex ea sede in qua morbi fomes delitescit, præhendente paroxismo, uelut auram quādam frigidiorē per continuatas partes usque ad principium neruorum sursum ferri sæpius sentiant.

απογνωσιν.

XLVIII.

Epilepsia in qua paroxismi sunt uehementes & graues, diu durantes, crebrò recurrentes, & magna & multa urgent symptomata, maximè ubi pueros occupat, item ubi ægri prorsus obliuiscuntur eorum quæ passi sunt initio accessionis, uel etiam ubi hac ipsa cessante stertor superuenit permanetq; , pessima est, & instar acutorum morborum citò iugulat.

XLIX.

Atq; huc respexisse, credibile est, Aretæum lib. 1. de causis & sig. acut. morb. c. 4. ubi eam acutis morbis annumerauit: Quod uoluit etiam Celsus lib. 3. c. 23. Trallian. lib. 3. c. 13. Galen. 5. aphorif. 30. Auicēn. lib. 4. fen 1. doct. 4.

L.

Aliàs enim chronicus, diuturnus & longus esse solet, quod fassus est etiā Aretæus lib. 1. de curat. chronic. morb. c. 4. Galen. in introduct. & Hippocr. lib. de morbo sacro. Nam quibus à pueris inceptit, & neque pubertate, uel mēstruorum

struorū initio, uel puerperio soluitur, difficilimè curatur, & usq; ad mortis diem ut plurimum prorogatur. Huc refero etiam illos, quibus in uigore ætatis factus est, nensepe ab anno uicesimo quinto, usque ad quadragesimum quintum.

L I.

Difficiliter etiam curantur in quibus nullum apparet signum partis, in qua causa morbi nascitur, & cum huius rei indicium adest, difficiliter liberantur quibus à capite incipit. Quibus autem malum à pedibus aut manibus incipit, omnium maximè curabiles existunt.

L II.

Hic tamen notandum, intelligenda esse ea, quæ iam diximus de difficili cura huius morbi, non tanquam semper, sed ut plurimum uera: Nam si ægri sint patientes, si pareant medico præcipienti, si vires ægri sint validæ & constantes, desperati etiam liberantur.

L III.

Imò semper aliquid tentandum in hac affectione, licet fit in ueterata aut hæreditaria: si enim malignâ & noxiam illam materiam profus non extirpabimus, paroxysmum tamen ipsiusque uim aliquo modo leniorem reddemus.

Curatio.

L IIII.

In curatione Epilepsie duo requiruntur, *θεράπεια καὶ πρόφύλαξις*: æger enim dum est in paroxysmo, est primum excitandus: deinde uerò præcauendum ne iterum incidat in paroxysmum.

L V.

θεράπεια quæ præsentī paroxysmo adhibetur, consistit in euacuantibus & reuellentibus remedijs: uel in materiam noxiam quæ iam caput occupauit deriuantibus & discutientibus.

LVI.

Ergo paroxismo præfente eger collocandus est loco lucido, mediocriter calido, & quidem tali fitu, ut caputin sublime habeat: procurandus est, si licet, vomitus altius immisso digito, vel pluma ol. Irino præsertim illita: iniiciendum suppositorium, aut enema: vocandus est æger voce sonora: fricandum est corpus deorsum versus, pro ratione corporis: adhibendæ extremarum partium (modò non sit infans) ligaturæ: hæc enim omnia & euacuant & refellunt.

LVII.

Hinc vtendum ijs quæ deriuant: vt sunt sternutatoria: item cauteria. Item quæ discutiendi uim habent, qualia sunt theriaca aut mithridatium cum tâtullo castorei ex succo rutæ vel pulegij dissolutum, & linguæ & palato illitum. Item ol. rorismarini, seu rutæ, seu castorei multoties uignis destillatum, & bombice imbuto naribus & auribus inditum. Idem præstat aqua hirundinum in os exhibitum, vel etiam aliquot guttæ succ. albi in uino sublimato opt. Gesneri. prodest itidem fofus futuræ coronalis cum spongia, aut lana aut linteo duplicato ex aqua vel rutæ, vel nucis muscatæ sexies vel septies destillatæ.

LVIII.

προφύλαξις consistit in eo, vt neredeat paroxismus operādemus, ut nimirū humorū vel vaporum generationē prohibeamus, & eiusmodi materiam in corpore produci non sinamus: vel si hoc obtinere non possimus, vt saltem quod ad singula momēta generatur, antequā propter copiam impetum faciat, tollamus & intercipiamus: & partem cuius uicio existit materia peccās in corpore, & cerebrum quod recipit, emendemus & corroboremus.

LIX.

Primum itaque idonea victus ratio præscribenda, imperandumq; vt à crapula & facierate æger sibi caueat: ab ijs cibis, vel qui crassos, lentos & frigidos succos generāt, vel impuros & acres humores procreant, vel qui naufeam pariunt,

riunt, vel à quibus aliàs abhorret, absteinat: flatulenta & ca-
putimplentia sedulo fugiat, odores denique fœtidos & in-
gratos deuitet.

LX.

Aer ad calidum & siccum declinet: corporis exercita-
tiones sint mediocres & tempestiue: somno utatur mo-
derato, fugiat quam maxime diurnum: excrementa alui
uel natura, uel arte respondeant: Venus, præcipitis loci, &
terrentium omnium aspectus, sollicitudo, timor, aliaque
animi pathemata omnino caueantur.

LXI.

Post uitium institutum ueniendum est ad euacuatione,
ut uitiosi humores quoad licet educantur. Hæc autem est
uel uniuersalis: ut uenæ sectio, purgatio, uomitus, sudoris
prouocatio: uel particularis: ut clyster, suppositorium, cu-
curbitula cum scarificatione, uel sine ea, sanguifuge, sinapif-
mus, cauteria, Errhina, sternutatio, apophlegmatismi, gar-
garismi.

LXII.

Venæ sectio utiliter admittitur, cum scilicet cacochymia
ita creuit, ut uenas supra modum distendat, & nature par-
tium grauis sit: ita enim modico cacochymia detracto, re-
liquum cathartico facilius educere poterimus. Imò pro-
pter reuulsionem & deriuationem hoc euacuationis ge-
nere ut utamur, omnino necesse est.

LXIII.

Aperienda est autem ex Galeni & aliorum præscripto
uena poplitem uel malleolorum, cum ut in mulieribus mē-
ses suppressi prouocentur, aut copiosius fluant: tum in his,
& uiris (& pueris quorum hoc tempore multi moriuntur,
qui sanguinis missione seruari possent) propter euacuatio-
nem & reuulsionem. possunt tamen, & rectè quidem ex
Pauli & aliorum sententia brachij uenæ nonnunquam
tundi.

Hinc

LXIV.

Hinc materiam præparabimus, & meatus si adsint obstructions reserabimus, atque ita purgationem pro humoris uitiosi ratione, medicamentis lenioribus, quibus semper miscebimus aliquid quod partem affectam respiciat, instituemus.

LXV.

Et quia malum est contumax, exhibenda sunt purgantia pharmaca sæpius, uel alternis, uel ternis, uel quaternis diebus, nonnūquam etiā quotidie, eorumq; usus per unū duos, tres, interdum etiam quatuor & plures menses continuandus est: frequēs enim medicina in omni morbo diuturno, est manus Dei, dicebat Græcus autor de podagra. Huc faciunt frictions: enematum frequens usus: suppositoria: scarificationes tibiarum, uel scapularum: item hæmorrhoidarum apertio: item Errhina & si quæ sunt huiusmodi alia: Hæc enim omnia euacuant, reuellunt, & deriuant.

LXVI.

Vomitus locum habet in facile uomentibus, præcipuè cum malum à uentriculo. uel partibus uicinis originem ducit. Sudor autem prouocatur, maximè si huius morbi materia est extra uasa in habitu corporis.

LXVII.

Quòd si hisce parum proficiamus, confugiendum erit ad medicamenta calida ex alto ad circumferentiam humores trahentia: item ad cauteria, potentia uel actu urentia, quæ partibus subiectis è quibus eiusmodi uapores ascendunt, adhibentur. Item ad funiculum setaceum (quem seronem chirurgorum uulgus nominat) maximè in primaria epilepsia. Extremis enim morbis extrema debentur remedia.

LXIIII.

Interim exhibenda sunt medicamenta quæ cerebrum roborant, concoctionem adiuuant, calorem insitum uentriculi & iccinoris confirmant, humores prauos consumunt,

mittunt, & uenenositate quæ ut plurimum, omnis in hoc morbo mali, causa est, resistunt. Huiusmodi sunt, Theriaca, Mithridarium, diamuscum dulce, diapliris, & alia huius generis condita, pulueres, electaria, & aquæ, ut Doctoris Iohannis Langij Leobergensis Silesij, Illustriss. palat. Principum medici clarissimi & experientissimi, quæ celebratissima est, & aliæ, quæ omnia ex practicis huc describere superuacaneum iudicamus.

LXIX.

Pro roborando capite parari poterit etiam cucupha, uel Embroca, aut lotio capitis, aut fotus eiusdem cum spongia ex folijs stoechados, spicæ nardi, maioranæ, corticibus citri, fol. lauri, pulegij, pæoniæ, roris marini, betonicæ, rutæ, saluæ, serpilli, calaminthæ montanæ, & alijs huiusmodi.

LXX.

Nec dubium est, posse nos ope diuina, remedijs iam dictis felicissimo cum successu plurimos sanare, si modò uniuersalia particularibus debita ratione accommodauerimus.

LXXI.

Verum præter iam dicta manifesta medicamenta, & ratione & methodo reperta, habuit antiquitas medicorum, tot secreta, tot *επιμαντεια* seu amuleta & *περιεπτα*, ut in nullo morbo videatur fuisse magis superstitiosa, quam in epilepsia: alij enim commendant pæoniæ radicem, eiusque semen: alij uiscus quercinum: alij lapides, chrysolitum, iaspidem, corallium, smaragdum, chelidonium rubeum, alexetorium, & illos qui in ventriculo hirundinum inveniuntur: alij ungulam asini siluestris, & alia huiusmodi, quæ aut nuda, aut aluta ceruina inuoluta, de collo suspendunt.

LXXII.

Hæc, ut non omnino improbamus, maximè apud mulieres, quibus sæpe dandum est aliquid, quæ madmodum & ægroto, astantibus & amicis: Ita non multum probamus, nec cuiquam vendimus: medici enim est omnibus quibuscunque potest modis subleuare miserum ægrotantem, salua tamen veritate, honestate, & artis suæ dignitate.

Quod

LXXIII.

Quod autem ad miserandū illud in hoc morbo remediū
um attinet, nimirum sanguinē humanum ex uenis decol
lati hominis effluentem, poculo exceptum & haustum:
item ad diabolica illa figmenta, characteres nimirum, fi
guras, & verba, ab his omnibus & abhorremus & nihil
fidei tribuimus: Deus enim pro sua bonitate ita nos omni
remediorum genere ditauit, & locupletauit, vt plus quā
beluinis, tartareis, Item superstitiosis & à magicis
excogitatis pharnacis neuiquam
indigeamus.





